

Melanchthon

PHILIPPI MELANTHONIS  
DE LEGIBVS ORATIO

EX RECENSIONE

THEODORI MVTHER  
ICT<sup>I</sup> ROSTOCHIENSIS.

EDITIO SECVNDA.

VIMARIAE INPENSIS  
HERMANNI BOEHLAV  
ANNO CCCCCCLXIX.



## Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

## Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

## Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.

ANDOVER-HARVARD LIBRARY



AH 4E2J N

Harvard Depository  
Brittle Book

608.2  
M51.4dL  
1869

6082  
H.57.4 dl  
1869



608.2

M51.4 dt

1869

## PRAEFATIO HVIVS SECVNDAE EDITIONIS

Prima DE LEGIBVS orationis ex mea recensione  
editio prodiit Regimonti Prussorum a. d. CIOCCCLX  
programmati academico adiuncta, cuius in fronte le-  
guntur haec

ORATIONEM SOLEMNEM  
IPSO QVO ANNIS TRECENTIS ANTE OBIIT  
PHILIPPVS MELANTHON  
DIE XIX. MENSIS APRILIS HORA XI.  
VT CELEBRETVR PRAECEPTORIS GERMANIAE  
ET VITAE MEMORIA ET MORTIS  
IN PVBLICO HABENDAM INDICVNT  
ALBERTINAE VNIVERSITATIS  
PRORECTOR ET SENATVS  
(TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS. 40)

Qui libellus quum uenalis in mercatu literarum non  
prostaret, in paucorum ille quidem manus peruenit. Ita-  
que haud infitior summopere me gauisum esse, quod

IV

uiros eruditos de grauissimis rebus disputantes illo com-  
mentariolo interdum usos esse intellexeram. Atqui quum  
ad commodum studiosae legum iuuentutis inprimis con-  
silium editionis meae spectet, mihi a nonnullis gratiam  
habitum iri sperauit, si denuo hoc opusculum prelo com-  
mitterem. Quapropter id bibliopolae elegantissimo tradidi,  
qui splendidum nitidumque exemplar eius in lucem emit-  
teret atque omnibus tam „Praeceptoris Germaniae“ amicis  
quam legum diuinarum humanarumque studiosis id offer-  
ret. Scribebam Rostochii mens. Apr. a. ~~CIOCCCLXIX.~~

[Praefatio primae editionis<sup>1)</sup>]

THEODORVS MVTHER ICTVS  
LECTORI ERVDITO  
S.

De Philippi Melanthonis in iurisprudentiam meritis  
insignibus et grauissimis<sup>2)</sup> alio loco accuratius ac fusius

---

1) Quae addidi ad hanc prioris editionis praefationem uncis [ ] inclusi. 2) Christiani Gottlieb Haubold, IC<sup>ts</sup> inclyti, politam et eruditam orationem „*de Philippi Melanchthonis in iurisprudentiam insignibus meritis*“ habitam in inauguratione doctorali a. CICCICCCXVI. inuenies in Ch. G. Haubold, Opuscula academica emend. etc. Car. Fr. Chr. Wenc k. Vol. I. Lips. CICCICCCXXV. pp. 701 sqq. — Hic ego unum hoc, quod Hauboldum fugit, quin afferam nequeo: Philippi auctoritatem magni aestimatam esse a IC<sup>ts</sup> illius aeui clarissimis Francogallicis. Quam rem Ioannes Ferinarius, Mr. Vitebergensis, attingens: „Audio, inquit, ex nostris hominibus, qui in Gallia didicerunt doctrinam Iureconsultorum, Franciscum Duarenūm Iureconsultum claris-

explicaturus<sup>3)</sup> nihil habui, quod praemonerem, nisi ut peculiarem hancce orationis de legibus editionem iuuentutis praesertim iuris studiosae usui destinatam esse profiterer. Nam quae adhuc prodierunt editiones aut rariores sunt, aut in magnis uoluminibus iacent quasi sepultae, quo factum est, ut orationis „erutae ex intimis sapientiae penetralibus“ perpauci adhuc notitiam haberent. Legant igitur adulescentes et uideant quam honorifice Praeceptor Germaniae de iure et disciplina nostra sen-

simum saepe solitum dicere: Nullum hactenus scriptorem extitisse, qui tam feliciter legum fontes commonstrarit, quam hic noster sanctissimus senex in eo libello, quam Elementa doctrinae Ethicae inscripsit, hortatumque fuisse adulescentes, ut nunquam eum de manibus deponerent. Et affirmant uiri fide digni, in eadem esse sententia Michaelem Hospitalem, regni Gallici cancellarium uirum omni genere uirtutis et eruditionis ornatissimum uerumque Galliae pacatorem.“ Cf. Richter, *Crises Melanchthonianae siue iudicia florentis scholae Mel. de lectione bonorum auctorum.* Viteb. 1592. pp. 720—733. Strobel, *Neue Beiträge zur Literatur etc. IIII. 1. p. 174.* — [Nuperrime Albertus Haenel IC<sup>us</sup> Kiloniensis disputationem quae inscripta est „*Melanchthon der Jurist*“ publicauit in ephemeredibus *Zeitschrift für Rechtsgeschichte* T. VIII. (1869) pp. 249—270.] [3) Nondum quod facere pro posueram perfeci. Sed uideas quae disputauai in libro *Aus dem Universitäts- und Gelehrtenleben im Zeitalter der Reformation* (1866) pp. 266 sqq. 268—271. 314 not. 115. cf. p. 418 et in ephemeredibus *Jahrbücher für Gesellschafts- und Staatswissenschaften. Herausgeg. von Dr. J. C. Glaser.* T. V. (1866) p. 399.]

serit admiranturque simul hominis paene diuinum et incomparabile ingenium, quo quas nocentium peperit studium et furor sententias refutauit itaque perstrinxit, ut hodie nouarum rerum studiosorum molimina et nefarios conatus nec fortius quisquam nec sapientius comprimere possit.

Iam restat ut de libris editis quibus inest oratio statim edenda deque ratione mea edendi pauca adiiciam.

Editiones uero quas ut conferrem praesto habebam quatuor numeris commode insigniuntur in hunc modum:

Ed. 1. anni CIOIIOXXV. Libro index est:

ORATIO *dicta in funere FRIDE* || RICHI  
Saxoniae *Ducis.* || ORATIO *de Legibus.* || ORATIO  
*de Gradibus.* || PRAEFATIO *in AEschinis et De*||  
*mosthenis orationes.* || ORATIO *Critiae contra The-*  
*rane* || *nem ex Xenophonte.* || PHIL. MEL. AVTORE||  
*Haganoae, excudebat Iohan. Secer.* || *Anno M. D.*  
*XXV.* || 8°.

In fine: *Haganoae excudebat Iohan. Secer.* ||  
*Anno. M. D. XXV. Oratio de legibus incipit*  
*sign. B b (j<sup>b</sup>), explicit sign. Dd iij.*

Editionem hanc cum principem omnium esse censerem in textu constituendo potissimum secutus sum, orthographiam nisi inconstantiae uarietatisque

praeberet speciem reseruauit, sed interpunctiones mutare non dubitaui.

**Ed. 2. anni CICICCI.**

LIBER SELECTA || RVM DECLAMATIONVM ||  
 PHILIPPI MELANTHONIS, QVAS || conscripsit, et  
 partim ipse in schola || Vitebergensi recitauit, partim||  
 alijs recitandas ex || hibuit. || Adiectae sunt eiusdem  
 Praefationes in aliquot || illustres Autores. || *Omnia  
 recens in lucem aedita.* || CRAT. (Signum leonis  
 erecti columnam ferentis insigniaque gentilicia te-  
 nentis) MYL. || Cum Gratia et Priuilegio. M. D.  
 XLI. || 4°.

De hac editione uid. Corpus Reformato-  
 rum ed. Carol. Gottl. Bretschneider. Vol. X.  
 col. 679. 680 sqq. Inuenitur in ea oratio de le-  
 gibus post orationem de gratitudine M. Alexandri  
 Alesij Scoti, pp. 185—212 explens.

Nicolai Gerbelii editoris (uid. C. R. l. l.)  
 curae emendationes quaedam et modus aptior  
interpungendi debentur. Sed non desunt loci, qui  
 uel editoris uel typographi erroribus deprauati sunt.

**Ed. 3. anni CICICCIOLXIII.**

SELECTA- || RVM DECLAMATIONVM || Phi-  
 lippi Melanthonis, quas con- || *scripsit, et partim*

IX

*ipse in schola Vuite-||bergensi recitauit, partim  
alijs || recitandas exhibuit. || TOMVS PRIMVS. ||  
(Signum uiri nudi, barbati, arcum et tela tenentis,  
super quem uolutat schedula uerbis inscripta his:  
SCOPVS VITAE MEAE CHRISTVS) || Cum Gratia  
et Priuilegio. || ARGENTORATI ANNO || M. D.  
LXIIII. || 8°. pp. 192—227.*

De hac editione uid. C. R. X. cc. 681 sqq.  
Nicolai Gerbelii editoris cura pauca emenda,  
multa typographi neglegentia deprauata sunt.

Ed. 4. anni CICCICCCXLIII.

CORPUS REFORMATORUM || EDIDIT || CA-  
ROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER. || VOLU-  
MEN XI. || HALIS SAXONUM || APUD C. A.  
SCHWETSCHKE ET FILIUM. || 1843. || 4°. cc.  
66—86.

Sequitur editor editionem 2. anxie superstitione  
sequi, ut passim errores quoque typographi repetat.

Sed extant et aliae editiones quas cum praesentes  
non haberem conferre non potui. Ex his recensendae sunt:

- a. Editio Haganoensis anni CICCIXXXIII. Vid.  
Strobel, Miscellaneen literärischen Inhalts.  
5. Sammlung pp. 133 sqq. C. R. X. cc. 679.  
680.

b. **Editio Seruestana anni CICLOLXXXVII.** Vid.

C. R. X. cc. 685. 686.

c. **Editio Richardiana anni MDLXX.** Vid. C.

R. X. cc. 685 sqq.

Hoc mihi doluit, editionem a. bibliothecis nostris deesse. Absentiam editionum b. et c. aegre non tuli, quippe quae editionem 3. „ne uerbulo quidem mutato“ sequentur. Cf. C. R. X. cc. 685 sqq.

Itaque ex editionibus 1. 2. 3. textum orationis nostraee restitui; coniecturas nisi aperta uiderentur de prauationis indicia non feci; lectionis uarietatem in adnotationibus apposui. Interpunctionis et orthographiae uarietatem tum demum adnotaui cum causae essent, cur ita facerem.

Praefatus sum. Vale, lector beneuole, et mihi faue! Scribebam Regimonti mense April. a. d. CICLOCCCLX.

---

# DE LEGIBVS ORATIO<sup>1)</sup>

PHIL. MEL.

Desyderant<sup>a)</sup> in me plusulum fortasse pudoris aliqui,  
cum adsiduis<sup>b)</sup> declamationibus, et infantiam meam uulgo  
traduco, et humanissimis in hac schola patientissimisque  
auditoribus toties odiose obstrepo. Ego uero agnosco  
mearum uirium imbecillitatem meoque me pede metior,  
et, cum de meipso<sup>c)</sup> censuram ago, sentio quam non  
satisfaciam politissimis quorundam auribus. Verum cum  
prouehendae rei literariae caussa<sup>d)</sup> hoc quicquid est  
operae a me sumatur, studium meum quaeso boni con-

---

a) Desiderant 2. 3. 4. b) assiduis 2. 3. 4. *et similiter infra.*  
c) me ipso 3. d) causa 2. 3. 4. *et sic infra.*

1) *Orationem hanc composuit et recitauit Philippus anno*  
*CIOIOXXV. Quod intellegitur ex epistulae ad Camerarium mens.*  
*April. e. a. scriptae uerbis his:* Hoc tempore in manibus habeo  
*μελέτην, qua de legibus dicam ex publico instituto. Nam legem*  
*tulimus, ut singulis mensibus declametur. Cf. C. R. I. col. 737,*

10 sulite. Nam cum pars quaedam publici muneris in hac schola mihi<sup>e)</sup> delegata sit, parum meminisse uiderer, quam sustineam personam, nisi de adulescentium<sup>f)</sup> officio nonnunquam dicerem. Quod cum pro uirili faciam easque disciplinas iuuentuti commendem, quibus neglectis, 15 cum religionem, tum res bonas alias labefieri necesse est, facile, ut spero, impetrabo, ne mea mihi sedulitas fraudi sit. Sunt enim fauore studijsque omnium iuuandi eorum conatus, qui literis non pessime consultum uolunt. Neque aliam ob caussam modo dicere instituimus, quam 20 ut ijs, qui hic ex more declamare solent, si qui forsan imbecilliores sunt, meo exemplo nonnihil animi addam et tanquam classicum canam. Deinde, ut eruditos omnes publica uoce rogitem, ut in hanc arenam et ipsi aliquando descendant cum pueris collusuri. Socratem nihil 25 puduit natu grandem cum paruis filiolis „equitare, ut ille<sup>2)</sup> ait, *in arundine longa*“, quanto minus uobis uitio poterit uerti honestissimus conatus, si cum hoc grege de literis nonnunquam commentemini, quarum caussa quicquid suscepferis, quando mortalia nihil diuinius habent, laudem meretur. Quaero itaque, ut scholae operam

e) *deest* 3. f) *adolescentium* 3.

2) *Horat. Sat. II. 3. 248.*

suam ea in re candide impertian̄tur, quicunque literis bene cupiunt. Sic enim statuo: praecclare de rebus humanis mereri, qui puerilia studia honestis exemplis accendunt. Iam et meam facilitatem ita demum probari uobis iudicabo, si imitari coeperitis; quae si silentio 35 uestro damnata fuerit, bone Deus, quam ipsi nobis displicebimus.

Sumus autem de legibus dicturi deque eo iure, quod in scholis hoc tempore et in iudicijs in bona Europae parte regnat. Nam eae literae non nuper male audire 40 coeperunt, cum alijs prophanarum legum parum pia professio indignaque Christianis uidetur, alij satius ducunt, ut iudicia non improbent prorsus, nam id nec Scythaे solent, res ex aequo et bono sine scriptis legibus iudicare. Horum calumnias pro nostri ingenij mediocritate 45 reuellere<sup>g)</sup> conabimur, ut eos, qui ad gerendam<sup>h)</sup> Rem-publicam olim accessuri sunt, ad huius disciplinae studium inuitemus. Praegrauant autem hanc caussam mirifice hoc tempore Doctorculi quidam<sup>3)</sup>, qui cum fere<sup>i)</sup>

g) refellere 2. 3. 4. h) regendam 3. i) uere 3.

3) *Andreas Bodenstein de Carlstadt Theol. D., Jacobus Strauss (Struthio) Theol. D., concionator Isenacensis, Wolfgang Stein AA M., concionator in aula Vimariensi, alii. De Carol-stadii dogmatibus vid. C. R. I. 676. II. 31 sqq. Erbkamm'*

50 sint ἀγεότι, tamen Euangelij prætextu tyrannidem gerunt et pro libidine cum humanas, tum diuinias leges figunt ac refigunt. A quibus si impetrari poterit, ut nobis dicendi potestatem faciant, sunt enim perquam morosi, docebo breuiter, sacris<sup>k)</sup> literis non modo non improbari ciuiles<sup>l)</sup> leges, sed praecipi etiam, ut reli-

k) Sacris 1. l) Ciuiles 1. et similiter *infra*.

*Geschichte der protestantischen Sekten im Zeitalter der Reformation* pp. 272. 505. *Muther, Aus dem Universitäts- und Gelehrtenleben* p. 201. *Straussium defendant Strobel, Miscellaneen.* 3. Samml. p. 9, *Beiträge II.* pp. 215. 281, G. L. Schmidt, Jacob Strauss (1863). Sed rectius Seidemann, Thomas Münzer (1842) p. 98: „Dass Strauss zu den lärmenden Praedicanten gehörte, leidet keinen Zweifel. Strobel spricht ihn wohl zu schnell frei.“ Cf. Seckendorff, *Comm. I.* 157 et Schol. n. 77. C. R. I 655. *Lutheri Epistul. ed. de Wette II.* 425. *II.* 502 sqq. *II.* 504 sqq. *II.* 585. *Lutheri Opp. ed. Welch. XV.* 2503. cf. X. 399 sqq. Vid. etiam *Praefat. ad Selectar. Declamatt. Phil. Melanthonis Vol. IIII.* ed. Argentorat. *CIDICOLVIII. Manlii Locor. comm. coll. Ed.* 1568. *II.* p. 166 sqq. 280. *III.* 487. *Luther, Tischreden ed. Föerstemann-Bindseil II.* p. 90. C. R. I. 731 sqq. 594 sqq. et al. II. *Quemadmodum rusticorum seditionem coeptantium duces contra iura scripta imprimis ius Romanum pugnauerint, alio loco exponam.* Nonnulla ad eam rem spectantia leguntur apud Homeyer, Ueber die unechte Reformation Kaiser Friedrichs III. in *Monatsberichte der Königl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin.* 1856. 2. Juni. *Sitzung der philosophisch-historischen Klasse.* Stobbe *Geschichte der deutschen Rechtsquellen T. II.* (1864) pp. 50 sqq.

giose sancteque colantur, qua laude nulla potest amplior legibus tribui. Vbi fidem fecero, ciuilem urbium statum nihil pugnare cum religione; exponam quam prudenter a maioribus factum sit, quod Romanas leges potissimum delegerunt, quas in constituendis Ciuitatibus <sup>60</sup> tanquam filum sequerentur, easque summa cura a nobis studioque conseruandas esse, ostendam.<sup>4)</sup>

Quae, malum, dementia tandem est, quis furor, falso Christiani nominis praetextu ciuilium rerum statum labefacere et conuellere? Quae<sup>m)</sup> barbaries, qui <sup>65</sup> Scytha*e* iudicia, aequi et iniqui discrimen e medio tollunt? Et audent hoc Christo quidam, si superis placet, Christiani Doctores tribuere? Quid est, si haec non est contumelia? Qui ex Gentilibus Philosophis in Chri-  
stum stylo debacchati sunt, unum<sup>n)</sup> hoc fere caussifi- <sup>70</sup>  
cantur, quod quaedam leges parum uideantur aptae ad  
ciuilem consuetudinem societatemque hominum tuendam:  
neque<sup>o)</sup> censem ullo probro Christi dignitatem grauius  
laedi posse. Horum uincunt amentiam nostri, qui in

m) conuellere, quae 1. n) sunt. Vnum *male* 1. sunt? Vnum *perperam* 2. 3. 4. o) tuendam. Neque 1. tuendam: Neque 2. 3.

4) Cf. ad hunc locum Stobbe, *Geschichte der deutschen Rechtsquellen II.* p. 115.

75 ipso contemptu publicorum morum et in euertendo uni  
 uerso ciuili statu pietatem collocant. Adeo de Christi  
 nomine supersticio peius, quam qui ex professo insectan-  
 tur, meretur. Nam cum uim pietatis ignoret et pro  
 suo arbitrio sibi Deos somniet, non modo nihilo rectius  
 80 de Christo sentit, quam Ethnici, sed pietatis etiam ti-  
 tulum fere priuatis uitij praetexit, quo sacrilegio nihil  
 abominabilius fingi potest. Et quia uetus Deus humano  
 artificio imaginem sui fingi seque e suo sermone cognos-  
 sci uoluit, ubi se nobis uelut in tabula delineauit<sup>p</sup>), pe-  
 temus et nos e sacris literis, quid de ciuilibus legibus  
 diuinus spiritus decreuerit. Quas<sup>q</sup>) cum coelesti uoce  
 probari<sup>r</sup>) audietis, par fuerit, et cognoscere diligentius,  
 et obseruare sanctius. Sese enim contemni Deus iudi-  
 cabit, si ciuiles leges tantopere nobis commendatas ui-  
 90 lauerimus. Sed recenseo locos, qui legibus patrocinan-  
 tur docentque in rebus publicis iudicia esse constituenda  
 legesque rationi consentaneas de rebus herciscundis<sup>s</sup>),  
 de sontium poenis et alijs genus ferri posse.

Primum ius faciunt nobis sacrae literae, uel Gen-  
 95 tilibus uel Mosaicis legibus in prophanicis rebus iudican-

p) deliniauit 1. 2. 4. q) decreuerit, quas 1. decreuerit: quas  
 2. 3. 4. r) probare 1. s) herciscundis 2. 3.

dis uti. Et cum iudicia<sup>t)</sup> amplissimo testimonio ornant, tum *πολιτείας* Mosaicam et Gentilem iuxta probant. Cum Baptistam milites haud dubie de genere uitae consulturi rogarent, quid a se fieri uellet, nihil hic exegit, nisi ut suis contenti stipendijs neminem calumniarentur <sup>100</sup> aut concuterent<sup>5)</sup>. Porro, cum stipendijs iubet esse contentos, publicum munus, quod illis mandatum erat, plane adprobat. Quis nescit autem Magistratum arma leges et iudicia esse, quae domi uim ac iniuriam a ciuibus prohibent? Quare non dubium est, quin tanti <sup>105</sup> leges facienda sint, quanti Magistratum<sup>u)</sup> Baptista facit. Paulus<sup>v)</sup> Magistratum auctoritatem<sup>w)</sup> praedicat, cum gladij usum ordinationem Dei uocat et Magistratum Dei Ministrum. A<sup>x)</sup> quo oraculo ex diametro dissident hi, qui leges impietatis accusant. Est enim hostis Dei, <sup>110</sup> non minister, quisquis ea suscipit, quae diuinae leges uetant: qui<sup>y)</sup> alterius uxori uitium offert, qui res aliorum fraude interuertit, qui periurio fallit, qui bellum cum superis gerit, non minister est: denique<sup>z)</sup> hostis est, cuiuscunque functio proprie impia est. Quare cum Pau- <sup>115</sup>lus Magistratum Dei Ministrum uocat, non hostem, ne-

t) iudicio 1. u) Magistratum 3. v) autoritatem 2. 3. 4. w) Ac 3.  
x) uetant. Qui editt. omn. y) est, denique editt. omn.

5) *Euangel. Luc. c. III. u. 14.* 6) *Epistul. ad Roman. c. 13.*

gat eius prouinciam cum religione pugnare. Contra,  
 qui Magistratus damnant, simul<sup>a</sup>) uno nomine omnes  
 latrones et Dei hostes esse pronunciant, quod quam non  
 120 quadret ad Paulinam sententiam, perspicuum est. Quid  
 enim tam dissimile uoluit ille esse latrocinio, quam Ma-  
 gistratum? Hunc tranquillitatis publicae custodem nun-  
 cupat Paulus, cum gerere gladium scribit, ut bonos ho-  
 nore<sup>b</sup>) adficiat. Quodsi latrocinium Magistratus est,  
 125 custodem bonorum qui cedo adpellabit? Iubet item<sup>b</sup>)  
 Paulus<sup>c</sup>) piorum uotis Magistratus Deo commendari, ut  
 salui publicam tranquillitatem tueantur; idemque<sup>c</sup>) exu-  
 laturis Iudeis Hieremias<sup>d</sup>) praecipit<sup>e</sup>). At incolumita-  
 tem latrocinio precari nihilo magis fas est, quam bene  
 130 precari lupanaribus. Tam clare discernit a latro-  
 cinio Magistratum scriptura: inter quae si nihil in-  
 terest, sceleratus erat Ioseph, cum in Aegypto impera-  
 ret<sup>f</sup>), scelerati Cornelius<sup>10</sup>) et Centurio<sup>11</sup>), cuius fidem  
 Christus unice praedicat, plerique item alij, qui Respu-  
 135 blicas<sup>g</sup>) ex<sup>h</sup>) Gentilium legibus administrarunt. De

---

z) semel *male editt. omn.* a) honores 1. 2. 4. b) enim 3.

c) tueantur. Idemque *editt. omn.* d) Ieremias 3. e) Res publicas 1.

f) et *perperam editt. omn.*

7) *Epistul. ad Timoth. I. c. 2.* 8) *Ieremias c. 29 u. 7.*

9) *Genes. c. 41 sqq.* 10) *Act. apost. c. 10.* 11) *Euangel. Matth. eap. 8 u. 10.* *Euang. Luc. c. 7.*

Iudaicis regibus nondum dico, quos putant minus posse ad nostra comparari, sed hos, quos recensui, quaeso patiamini melioris notae Christianos fuisse, quam hi sunt, de quorum moribus, posteaquam publicas leges contem- 140 nere coeperunt, passim male audit Euangelium. Sed unde tandem honorifica appellatio? Ecquid praecipit Deus de gladio? Primum minister Dei is est, qui eius iussum facit quique ex eius se mandato comparat; cui qui auscultat, is non modo nihil peccat, sed, quemadmo- 145 dum sacrae literae docent, sanctum etiam officium facit. Praecipit autem Deus morte multari eum, qui hominem occiderit, quae lex citra controuersiam totam *πολιτείαν* complectitur. Etenim ut publicae tranquillitatis caussa fas est de capite hominis iudicare, ita et ad rerum 150 diuisionem, ad leuiora negotia transigenda, quando aliter publicae paci consuli non potest, constituere iudicia licuit. Extat lex in Genesi<sup>12)</sup> ad Noë uniuerso mortalium generi lata estque confirmata Mosaicis edictis, quae, tametsi solis Hebraeis proposita sunt, tamen ar- 155 guunt Deum probare morem cum iudicandi res, tum plectendorum sontium. Nota enim Pauli<sup>13)</sup> uox est:

12) *Genes. c. 9 u. 6.* 13) *Epistul. ad Timoth. I. c. 1 u. 9.*

*Cf. Ep. ad Rom. c. 7; Ep. ad Galat. cc. 3. 4.*

Legem<sup>g)</sup> iniustis latam esse, quae monet, ut qui spiritu Christi non frenantur cum Hebraei, tum reliqui mortales, legibus coherceantur et tanquam carcere septi teneantur, ne quem laedant, ne cuius rebus damnum dent. Eodem impios omnes numero cum Gentes, tum Iudeos habet gladioque seu legi ad unum omnes subdit. Suum autem quoddam Christi regnum est, qui, cum non in 165 hoc se nobis ostenderit, ut humanam *πολιτείαν* conderet<sup>14)</sup>, mundi regnum non labefacit, immo in id extrudit eos, quos a turpitudine non dehortatur pietas, ut uis remoretur. Prodijt Christus, ut coelestibus muneribus, ut immortalitate pauculos quosdam tanquam in alium 170 eductos mundum donaret, non ut ciuitates constitueret. Regibus hanc prouinciam reliquit tenendam conseruan- damque ocij tuendi caussa. Ipse in piorum pectora spiritum suum transfundit, ut diuinitatem cum ijs com- municet. Ipse uerbo renouat piorum mentes *καὶ μετα-*  
 175 *σχηματίζει*. Nihil haec ad mundi regnum, quod in com- ponendis tantum moribus, in arcenda uiolentia uersatur. Id quod non facile tantum fert Christus, sed probat etiam, cum et suos parere iubet, et ministerium Dei

g) est, Legem 1. 2. 3.

14) *Euang. Ioann. cap. 18 u. 36. Cf. c. 3 u. 17. c. 6 u.*

15. *Euang. Marc. 10 u. 45.*

esse fatetur. Quare qui ad Republicas accessuri sunt, hos non modo non retrahit religio, sed monet etiam pium officium facturos, si publica munera recte gesserint, <sup>180</sup> si ius candide dixerint. Qui secus docent, cum de prophanis legibus, tum de Christi nomine male merentur.

At litigare uetat Christus? <sup>15)</sup> Quis negat? Iudicare uero non uetat. Quantum autem intersit inter iudicare et litigare, nemo non uidet. Nam ut uiatorem pulsare <sup>185</sup> Deus uetat, non uetat obligare uulnus <sup>16)</sup>; si quod is forte acceperit, ita, quanquam odia mortalium inter se execretur, mederi tamen tam perniciosis morbis patitur. Quare uitia damnari patiar; remedium par est, ut grato animo complectamur. Furit hic uindictae cupiditate, <sup>190</sup> ille res alterius fraude occupat: quos cum in uiam non reuocet pietas, iudicum auctoritate furor comprimitur. Nihil Dauid, Moses, Salomo<sup>h)</sup> peccarunt, quam tumuis improbis nebulonibus alicubi ius dixerint. Proinde Christus, ut litigantem ac uindictae amore ardente <sup>195</sup> damnet, tamen suas iudicibus partes reliquit, siue ex

h) Salomon 3.

15) *Euangel. Matth. c. 5 uu. 22 sqq. 39 sqq. c. 6 u. 12. c. 7 uu. 1 sqq. c. 18 uu. 15 sqq. c. 22 u. 39. Euang. Marc. c. 12 u. 31. Euang. Luc. c. 6 uu. 27 sqq. c. 17 u. 1 sqq. Euang. Ioann. c. 15 u. 17.* 16) *Euang. Luc. c. 10 uu. 34 sqq.*

Gentilibus legibus, siue ex Mosaicis ius dicant. Gentium Respublicas<sup>i)</sup> administrarunt Ioseph, Daniel, Naaman, Centurio, qui, si flagitium est Rempublicam gerere, uel  
 200 Gentilibus legibus uti, ordine mouendi sunt. Verum nolo hic longius immorari. Nam et alias accurate haec excussimus et piis mentibus ij loci, quos produximus, satisfecerint. Tantum reclamant hi, qui nec sacras nec prophanas leges pensi habent. Christus optima fide  
 205 censem Magistratui numerat<sup>17)</sup>, ut exemplum colendorum publicarum legum proderet. Id adeo imitari oportebat eos, qui Christianam libertatem ubique fortiter instant. Et cum diuino suffragio ius publicum comprobatum sit, pietas exigit, ut et diligenter cognoscatur et  
 210 religiose colatur et tractetur. Legumlatores ueteres omnes, quo plus auctoritatis<sup>k)</sup> suis legibus adderent, Deorum oraculis probatas adseuerabant. Minos fingebatur nouem annorum spacio Iouis usus familiari consuetudine ab eo constituendae Reipublicae rationem didicisse. Lycurgum ferunt et ab Apolline Deum appellatum esse et sua edicta φύτρας vocasse, quod oracula uideri uellet. Numam aiunt simulasse nocturnos cum Egeria

---

i) Res publicas 3. k) autoritatis 3.

17) *Euang. Matth. c. 17 u. 24. Cf. c. 22 uu. 17 sqq. Euang. Marc. c. 12 uu. 14 sqq. Euang. Luc. c. 20 uu. 22 sqq.*

congressus. Fingebantur haec, ut, cum diuino iudicio adprobatae leges uiderentur, pluris fierent. Quanto sanctius a nobis ius publicum coli debet, cum id non <sup>220</sup> commenticia oracula, sed certissimae<sup>1)</sup> uoces diuinæ nobis grauissime<sup>m)</sup> commendarint?

Porro cum constet, nihil pugnare cum ciuilibus legibus religionem et in rebus prophanis iudicandis fas esse uel Gentilibus uel Mosaicis legibus uti, expostula- <sup>225</sup> bimus aliquanto liberius cum ijs, qui publico iuri praeter meritum iniquiores sunt. Non satis, ita me bene ament Musae, constituere possum, morosi hi mihi uideantur tantum, an prorsus furere. Nam<sup>n)</sup> ut illiberalem coniu- uam esse censemus, qui apud amicum praesentem copiam <sup>230</sup> nauseat, ita qui praesentes mores, instituta ac leges temere fastidit, opicus mihi et parum urbanus uidetur. Et cum in omni uita sapientissimi homines praeceperint, communibus moribus tanquam scenae obsecundandum esse, ualde iniusti sunt, qui tanquam cum rebus huma- <sup>235</sup> nis bellum gesturi praeter sua nihil probant. Sordidos ac plebeios animos fere praesentium poenitet, qui, cum libidine sua, non ratione omnia metiantur, miro quodam nouandi studio tenentur. Neque ullus Euripus, ullum

---

1) certiss. 1. m) grauiss. 1. grauissimae 3. n) furere, nam  
1. furere: nam 2. 3. 4.

240 fretum tam uarios habet aestus ac fluctus, quam uarij  
 uulgi motus sunt. Quaecunque commouerit tempestas,  
 subito furiit miscetque omnia. Contra generosae mentes  
 communibus se moribus attemperant soelntque, utcunque  
 et ubicunque opus fuerit, obsequi, quemadmodum ille  
 245 Terentianus<sup>18)</sup> pater monet. Iam non simplex rusticitas,  
 sed furor est plane patrios mores ac patria ~~instituta~~  
 odisse. Etenim cum patriae sanctum quendam amorem  
 omnibus indiderit natura, prorsus obliti sui uidentur,  
 qui patrias leges tantopere auersantur. Sapientissimus  
 250 Poëta<sup>19)</sup> fingit Vlyssem optare, ut uel fumum de patrijs  
 exorientem focus uideat; hi leges contemnunt, ornamen-  
 tum patriae pulcherrimum, quarum beneficio ipsi et  
 aluntur, et seruantur, ut ne naturae quidem plus quam  
 his debeant. Mirum ni<sup>o</sup>) uulturio<sup>p)</sup> plus est humani,  
 255 quam huic generi! Ego profecto, quoties defatigatum  
 animum remittere recreareque libet, nulla in re suauius,  
 atque in patriae recordatione, acquiesco. Id quod fieri  
 non posset, nisi mirum quendam eius amorem inseuisset  
 natura. Videor mihi iam agros peruagari, iam in hortis  
 260 reptare, iam ad flumen deambulare<sup>q).</sup> Hic naturae opes,

---

o) in 3. p) *Vulturio edit.* q) BRETHEIM *habet in margine 1.*

18) *Terent. Heautontimor. III. I. 10.* 19) *Homer. Odys. I. 57 sqq.*

industriam colonorum, meorum ciuum, tacitus contemplor,  
 admiror maiorum prudentiam, qui agros, qui oppidum  
 ipsum diligentissime ornarunt et munierunt. Haec cum  
 animo consydero<sup>r</sup>) et propemodum intueor, mediocrine<sup>s</sup>)  
 me uoluptate perfrui censem? Me uero cum loci amoe-<sup>265</sup>  
 nitas per sese delectat, tum quia patriae nomen accedit,  
 ualde adficio. Nec minus tali patria capior, quam ille  
 Itaca, qui, quamuis sterilem et in asperrimis saxis tan-  
 quam nidulum adfixam, pluris immortalitate fecit<sup>20</sup>).  
 Et cum tantopere solum ipsum ametur, non possum non<sup>270</sup>  
 fauere et legibus, quibus ciuum inter se studia uolun-  
 tatesque conciliantur et deuinciuntur, quae domesticam  
 disciplinam, bonos mores, popularium libertatem tuentur,  
 quae profecto non minus nos quam lares nostri delect-  
 ant. Proinde cum inflammet nos natura et adsuefecerit<sup>275</sup>  
 consuetudo ad amandam colendamque patriam, et ingrati  
 erga benemerentem, et in penates suos impij et alieni  
 prorsus ab humanitate sunt, quibus domesticae leges  
 sordent. Capitale est magistratum pulsare: hi<sup>t</sup>), cum  
 prorsus ex Republica magistratus, iura omnia extermini-<sup>280</sup>  
 ent, quod non supplicium merentur? Nolo hic caussari

---

r) considero 2. 3. 4. s) mediocri ne 1. 2. 4. t) pulsare, hi  
*editt. omn.*

20) *Homer. Odyss. V. 206 sqq.*

frustra eos niti, recepta non posse fere priuato cuiusquam arbitrio conuelli. Finge rem succedere. Quid erit ciuitatibus nostris calamitosius? Quas, Deum im-  
 285 mortalem, haec nouitas dabit turbas? Nam ut sine ualetudinis iactura nemo uictus rationem mutat, ita nec leges sine publica perturbatione mutantur. Nec ad ci-  
 uitatum ocium et ad concordiam stabiliendam quidquam perinde conductit, atque ueterum legum morumque con-  
 290 seruatio, quod cum urbium exempla passim testantur,  
 tum monet aureus ueteris Poëtae<sup>21)</sup> uersiculus:

*Moribus antiquis res stat Romana uirisque.*

Valeant igitur, qui uel adeo inciuiles sunt, ut at-  
 temperare se communibus moribus nolint, uel adeo arro-  
 295 gantes, ut rectius se rebus publicis<sup>u)</sup> consulturos confi-  
 dant, quam maiores, uel adeo ferrei, ut nullus rerum  
 patriarum amor tangat. Et si<sup>v)</sup> ita uidetur in *νεφελο-*  
*κοκκυγιαν* commigrent, Senatui populoque cuculorum  
 imperaturi. Quanquam autem haec abunde magna ratio  
 300 bono uiro sit, cur praesentes leges amplectatur, quod  
 usu receptae sint et in mores peneque in naturam  
 nostram uerterint<sup>w)</sup> — stultum est enim cum publicis

u) *Rebuspup. 3.* v) *Etsi 2. 4.* w) uerterint. Stultum *perperam editt.*

21) *Ennii. Cf. Augustin. De ciuitate Dei II. 21. Vid. Ioann. Vahlen, Ennianae poeseos reliquiae p. 73.*

moribus dimicare<sup>x)</sup> — tamen excutiamus rem paulo accuratius, temerene<sup>y)</sup> an consulto maiores nostri ex scriptis legibus iudicari res maluerint. Non nuper in scholis <sup>305</sup> hac de re altercantur, utrum satius sit ex scripto iure, an ex Magistratum arbitrio res iudicare. Verum nos non quod ociosi<sup>z)</sup> in scholis literatores somniant, sed quod prudentissimi quique probarunt, qui Respublicas tenuerunt, sequemur. Nam cum humanae prudentiae <sup>310</sup> ciuilia officia religio commiserit, et prudentum exemplis, et communis sensu hanc caussam metiemur. Quae fuit autem usquam<sup>x)</sup> Respublica mediocris sine certis legibus constituta? Scripto iure usi sunt Aegypti<sup>b)</sup>, Cretenses, Athenienses, Romani, addo<sup>c)</sup> etiam Iudeos. Et Lycurus, <sup>315</sup> tametsi nullas scripserit leges, certas tamen<sup>d)</sup> quasdam prodidit non tabulis, sed, ut uulgo notiores essent, memoriae ciuium insculpendas. Quare, ut nihil ijs patrocinetur, qui hoc tempore scriptum ius tuentur, defendere eos tot Gentium<sup>e)</sup> iudicia facile queant, quibus quo <sup>320</sup> ore cedo, qua fronte reclamare audebitis? Et haud scio an haec ueteribus illis legumlatoribus<sup>f)</sup> consilij

---

x) *Vncinis includit haec uerba* 3. y) *temere ne editt. omn.*  
 z) *otiosi* 1. 3. a) *usq. 1.* b) *Aegyptij* 2. 3. *Aegyptii* 4. c) *ad-dam* 2. 3. 4. d) *certastamen* 1. e) *gentium* 2. 3. 4. f) *legum-latoribus* 1. 2. 3.

ratio: Quum<sup>g)</sup> libertatis ac tranquillitatis publicae caussa  
 conditae sint Ciuitates<sup>h)</sup> et constituta iudicia, ut in  
 325 tuto sint suaे cuique res et uita et sub iuris auctoritate,  
 tanquam sub umbra, lateant, idque praesidium non  
 maiorum industria, non hominum conspiratio compararit,  
 sed Deus ostenderit, praestandum est, ne ius sit obscurum,  
 incertum, aut ambiguum. Quae est enim iuris  
 330 uis, aut auctoritas<sup>i)</sup> futura, si subinde Vertumni<sup>k)</sup> in  
 morem uariet? Nemo fortunas<sup>l)</sup> suas uitamque non  
 satis exploratis aut infidis custodibus tuto committi putat.  
 Porro ubi Magistratum arbitrio sine certis legibus  
 res iudicantur, cum in imperitorum, saepe etiam impro-  
 335 borum potestate ius sit, fit ut per imperitiam saepe  
 Magistratus aequi et iniqui discrimen non perspiciat.

Quoties recti species decipit, quoties iudicio gratia  
 aut malevolentia officit? Neque enim obscurum est,  
 quam leui momento ab aequitate mediocrium hominum  
 340 animi saepe abstrahantur<sup>m)</sup>. Quid — quod<sup>n)</sup> ea imperitorum pertinacia est, ut ad aequitatem flecti non possint, ubi non cogunt leges — cedo<sup>o)</sup>), quid arbitrare

g) ratio. Quom 1. ratio. Quum 2. 3. 4. h) ciuitates 2. 3. 4.  
 i) autoritas 2. 3. 4. k) uertumni 1. l) formas 2. 4. m) *a linea*  
*recedit* 1. n) Quid quod *editt.* *omn.* o) leges. Cedo *editt.* *omn.*

sumptuos sibi Germanicos regulos, nisi leges prohiberent? Qui, si quando<sup>p</sup>) iuris species suffragaretur, citius omnia miscerent, quam de sententia, de possessione de-<sup>345</sup> cederent. Nunc cum reclament leges, deterret a flagitio nonnunquam pudor<sup>q</sup>). Quotus enim quisque tam cornae fibrae est, ut publicam legum uocem, omnium de se iudicium prorsus contemnat? At si nullae obstrepant leges, cum licentia fere deteriores reddat, uideas aperta<sup>350</sup> tyrannide grassaturos, non aliter atque solebant Athenis triginta illi, qui cum pessimo exemplo iudicia sustulissent, perinde quasi publicam carnificinam exercerent, optimum quenque iugulabant. Itaque quemadmodum in periculis tempestatis non solet uentis temere com-<sup>355</sup> mitti nauis, sed gubernator praeficitur, qui arte regat, ita fluctuantes Principum animi certa lege frenandi regendique sunt, ne priuatae cupiditates a iure uelut a portu reijciant. Et cum in cognoscendis caussis saepe non pessimis Magistratibus iuris species imponat, saepe<sup>360</sup> transuersos rapiat ambitio, ne periclitaretur libertas, aequi et iniqui formulas praescribi oportuit, quas in consilium adhiberent ius dicturi. Nam si magistratui potestatem feceris, quidquid libet statuendi, uide<sup>r</sup>) in quam

p) si quando 1. q) *a linea recedit* 1. r) Vide 1.

365 nos seruitutem conijcias? Iure possessiones adsignauit,  
 si aliud uidebitur, ius erit eripere; quod dictum est, in-  
 dictum fuerit; quod modo erat ratum<sup>s</sup>), irritum fuerit<sup>t</sup>);  
 quidquid decreuerit, in uento et rapida scribere oportet  
 aqua<sup>u</sup>), usque adeo non constabit sibi et iure subinde  
 370 mutato in aliam se formam *Πρότεως*<sup>v</sup>) more uertet.

Non domus, non liberi, non coniux, quibus ne nostra  
 quidem uita nobis carior est, in tuto erunt. Res bonae  
 omnes, pietas, humanitas, doctrina, artesque uniuersae,  
 quae ocium<sup>w</sup>) pacemque amant, exulabunt. At cum his  
 375 uitijs leges medeantur, nec libertatis ullus praeterea  
 fidelior sit custos, quid uetat legum beneficio uti? Quae  
 Magistratibus fiduciariam tantum nostri potestatem fa-  
 ciunt, ut ius nostrum, quoties periclitamus, repetere  
 liceat. Aristoteles<sup>22)</sup> in ea demum Republica, quae  
 380 scripto iure regitur, Deos imperare adfirmat, quod liber-  
 tatem leges tueantur, qua haud scio an haec uita nihil  
 dulcius habeat. Quid enim foelicius, quam iniuriae metu  
 uacare societateque hominum tuto frui? Proinde ille<sup>23)</sup>  
 ne bono quidem uiro sine legibus Rempublicam mandari  
 385 patitur. Sed recita uerba.

s) rarum 1. t) a linea recedit 3. u) Aqua 3. v) *πρότεως*  
 editt. omn. w) otium 1.

22) *Politicon. III. 16.* 23) *Aristoteles l. l. Cf. ibid. III. 15.*

Verum dicet aliquis maligne me de hominum inge-  
 nijs sentire, cum nullius adeo exploratam fidem ac uir-  
 tudem esse duco, cui tuto ciuitas committi possit. Ego  
 uero optarim passim imperare Nestoras, uerum uidemus  
 quanta sit optimorum Principum paucitas. Nec obscurum <sup>390</sup>  
 est uetus illud dictum: Omnia bonorum Principum  
 imagines in uno annulo sculpi posse. Quare facile pa-  
 tior in mediocribus, ut sunt fere, certo iure uim regi  
 et officij sui, si qui<sup>x)</sup> sunt imprudentes Magistratus, ad-  
 moneri. Haec mea est ratio, nec foeliciorem mihi Rem- <sup>395</sup>  
 publicam somnio, quam qualem existere res humanae  
 sinunt. Finge autem rerum summam ad Stoicos delatam  
 esse, qui nec gratia, nec odio adficiantur, qui falli ne-  
 queant, quid ijs facies, qui, ut est uulgi improbitas,  
 malunt legibus, quam uel sanctissimis Magistratibus <sup>400</sup>  
 credere? Est enim quorundam tanta rabies tantaque  
 pertinacia, ut aequitate fideque iudicium satisfieri sibi  
 non patiantur, sed, cum summo iure contendant extre-  
 maque omnia experiantur, saepe infensius cum iudicibus,  
 quam cum aduersario concertent. Hic uero Magistra- <sup>405</sup>  
 tuum auctoritas periclitabitur, nisi publice receptae leges  
 defendant. Adeo non modo aduersus tyrannidem in

x) siqui 1.

legibus innocentiae praesidium est, sed et Magistratibus aduersus uulgi importunitatem hic<sup>y</sup>) tanquam aheneus 410 quidam murus est, denique<sup>z</sup>) commune uinculum inter se Principum ac multitudinis est ius scriptum ad pacem tuendam comparatum<sup>a</sup>). Iam et improbi ciues facilius in fortunas aliorum impetum facient, cum uel nullae poenae certae absterrebunt, uel ius erit incertum. 415 Contra, ut ij, qui iter faciunt, cum uiam indicant Mercuriales statuae, nihil metuunt nec ubi<sup>b</sup>) errent, ita<sup>c</sup>) boni ciues, cum certum ius propositum<sup>d</sup>) est, securi degunt, cum docent leges: et quid pro se quisque praestare debeat, et quid cuiusque sit proprium, et improbis cer- 420 tum exitium minantur. Cum autem libertas nihil nisi inane uocabulum sit, si bonis securitatem demas, crudele fuerit ius scriptum e medio tollere, si quid ad securitatem in bonorum animis alendam confert.

Accedit huc, quod ut modestissimi homines imperent, 425 tamen futurum sit, ut de iure saepe dissentiant<sup>e</sup>), nisi ex certis legibus res iudicentur. Quae est autem pestis ciuitatibus perniciosior<sup>f</sup>) intestina discordia? Quas

---

y) importunitatem, hic 1. 3. importunitatem. Hic 2. 4. z) est: Denique 3. a) comparatam 3. b) nec ubi 3. c) errent. Ita 1. errent, Ita 2. errent: Ita 3. d) praepositum 3. e) dissentient 1. f) pernitosior 1. 2.

haec urbes non funditus euerit? Quare nulla tam parua res est, quae modo ad concordiam conseruandam conducere uideatur, quae negligenda sit. Saepe autem ex leuissimis iniurijs, non secus atque ex minutissima scintilla, grauissimum incendium oritur. Non raro et res grauissimae in disceptationem uenient, ubi si Magistratibus de iure male conuenerit, studijs factionibusque publica tranquillitas turbabitur, dum suae quaeque pars sententiae suffragatores, addo etiam uires, publicae salutis obliterat, comparat. Quam autem non solitudinem malis, quam intestinis flagrantem odijs<sup>g)</sup> urbem colere? Proinde, cum Hebraeos Deus inter se quam coniunctissimos esse rectissimeque consentire uellet, certas leges tulit, ut ex praescripto res iudicarent, ne quando ius controuersum dissidium pareret. Plerisque item alijs ciuitatibus uel Principum<sup>h)</sup> tyrannis<sup>i)</sup>, uel ciuiles discordiae imposuere legum condendarum necessitatem. Nam cum inter se Athenis de iure publico perpetuo conflictarentur tres per id tempus factiones, homines opinor non pessimi, sed male inter se, ut fit, in imperio cohaerentes, eaque dissensio, morbo ciuitatis ingrauescente et gliscentibus odijs, uniuersis exitium minaretur, Respublica Soloni

g) ocijs 3. h) principum 1. 2. 4. i) Tyrannis 3.

450 mandata est; is leges tulit, quibus libertatem et ocium  
 urbi restituit. Et cum cerneret has unicum esse con-  
 cordiae uallum, constituit, ut, qui ius dicerent, conceptis  
 uerbis iusiurandum darent, se ex legibus res iudicaturos  
 esse. Qui Magistratum arbitrio siūpliciter omnia com-  
 455 mittunt cum Solone, si libet, expostulent, non mecum,  
 qui ad consociandos inter se ciuium animos tantum fa-  
 cere momentum scriptas leges existimauit, ut ex suo  
 arbitrio Magistratus ius dicere ueteruerit. Sed recita  
 iusiurandum *ἡλιαστικόν*, sic enim Demosthenes<sup>24)</sup> uocat.  
 460 Fuerunt et hae<sup>k)</sup> fere caussae, cur Romani scripto iure  
 uti maluerint. Nimium sibi Principes<sup>l)</sup> sumebant;  
 Plebs<sup>m)</sup>, non satis tuto creditam Optimatibus<sup>n)</sup> libertatem  
 existimans, saepe Imperium<sup>o)</sup> auctoritatemque<sup>p)</sup> detrecta-  
 bat, de iure saepe dissentiebant inter se etiam boni  
 465 uiri. Haec coegerunt tum plebis temeritatem, tum Ma-  
 gistratum uim certis legibus moderari: suntque duode-  
 dic illae tabulae, fons iuris nostri, prudentissimorum  
 hominum iudicio propositae. Id iugum cupide uniuersa  
 ciuitas accepit, cum sentiret urbem non diu futuram in-  
 470 columem, nisi legibus muniretur.

k) he 2. l) principes 1. 2. 4. m) sumebant. Plebs 1. 2. 4.

n) optimatibus 1. 2. 4. o) imperium 1. 2. 4. p) auctoritatemque 3.

24) *Orat. in Timocrat. (Edit. Opp. Demosth. Dindorf. II. p. 779.)*

Porro cum ciuitates orbis terrarum principes<sup>q)</sup> coegerit necessitas pene Diomedea leges condere, quis furor est, apud nos iam usu receptas uelle abrogare ac inducere?<sup>r)</sup> Magna consuetudinis uis est, quae mores omnes, quibus assuefacti sumus, sine perturbatione publica mu-<sup>475</sup> tari non sinit. Quare leges uel hoc nomine, quod consuetudini<sup>s)</sup> mos gerendus est, oportuit conseruari. At cum de rebus humanis etiam bene mereantur, publicam tranquillitatem et libertatem tueantur, obsecro non insaniunt, qui refigere iubent? Actum fuerit de religione,<sup>480</sup> de humanitate, de rebus bonis omnibus, nisi coetus hominum iure cogantur ac defendantur. Neque uero inter caetera legum beneficia hoc praetereundum est, quod de expetendis fugiendisque rebus rectas ciuibus opiniones inserunt. Id adeo ad formandos mores magnum habet<sup>485</sup> momentum. Errant enim mortalium ingenia, nisi certis praeceptis regantur et ut quidque<sup>t)</sup> maxime commodum in praesentia uidetur, ita maxime licere<sup>u)</sup> putant, oculos mentemque libido praestringit, ut quod maxime cupimus saepe, nisi dehortetur legum auctoritas<sup>v)</sup>, optimum esse<sup>490</sup> ducamus. Auarus nihil esse uitij in foenore faciendo

---

q) Principes *editt. omn. male.* r) indicere 3. s) consuetudine 1. t) quidq; 1. 3. quidqz; 2. u) lucere 3. v) auctoritas 3.

existimat.: at<sup>w</sup>) si ualerent leges, quae foeneratoribus maiorem mulctam constituerunt, quam furibus, quis non execraretur foenus? Sunt quos parum pudet mentiri:  
 495 at cum<sup>x</sup>) ex lege XII tabularum e saxo Tarpeio deiciebatur, qui falsum testimonium dixisse conuictus erat<sup>25</sup>), cane peius et angue mendacium oderat multitudo. Perpetuum ocium<sup>y</sup>) nunc in lauta uitae parte ponunt: at cum Atticis legibus capitalis esset desidia<sup>z</sup>), grauiter 500 audiebat<sup>26</sup>). Furem abominamur, quod in eum grauissime<sup>a</sup>) animaduertatur, augetque<sup>b</sup>) crimen poenae atrocitas. Praedonis loco habes eum, qui debitoris rem aut pecuniam usurpat, nisi sponte datam: peperit<sup>c</sup>) hanc opinionem lex<sup>27</sup>), quae pronunciat, uim esse, quoties 505 quis id, quod deberi existimat, non<sup>d</sup>) per iudicem reponcit. Nihil autem cum opinionibus, tum moribus nostris<sup>e</sup>) instabilius esset, nisi ex certis legibus compararetur. Nam ut nautae cursum ad ea sydera, quae eodem sem-

w) existimat, At 2. existimat, at 4. x) Atcum 2. y) otium 1. 2.

z) dissidia 3. a) grauiss. 1. b) angetque 2. *Errorem hunc typogr. neglegenter rep.* 4. c) datam, peperit 1. datam. Peperit 2. 4. d) deest neglegenter 2. 3. 4. e) nostis 3.

25) *A. Gellius, Noct. Att. XX. 1. §. 53.* 26) *Cf. Ed. Platner, Der Proc. u. d. Klagen bei den Attikern II. pp. 150 sqq. et loc. ibid. citat.* 27) *Fr. 13 quod met. causa (4. 2); cf. Fr. 7 ad L. Iul. de ui priu. (48. 7).*

per loco circumaguntur, dirigunt, ita par est, ut ad leges, quae a sapientissimis hominibus latae, et uirtutis 510 uiam rectissime indicant, et sui nunquam dissimiles sunt, opiniones nostras exigamus<sup>f</sup>). Sed ut nulla ratio sit, cur scripto iure utamur: certe<sup>g</sup>) Romanae leges merebantur, quas hoc importaremus. Quare maiorum nostrorum prudentiam laudo, quod Romanas potissimum leges 515 delegerunt, quas in iure dicendo sequerentur<sup>28)</sup>), et quando hactenus benigni mihi audiendo operam nauastis, fauete quaeso et reliquae orationi. Exponam enim

f) exigemus 3. g) certis 1.

28) *Ante paucos, quam haec recitaret, annos aliam de Romani iuris usu sententiam protulerat Philippus. Legitur enim in prima Locorum theologicorum editione (Wittembergae a. 1521): Optarim etiam uti Christianos ea forma iudiciorum, quam Moses prodidit, item plerisque ceremoniis. Praestaret enim, quandoquidem iudiciis carere necessitas huius uitae non potest, nec, ut opinor, ceremoniis, uti Mosaicis illis, quam tum gentilibus, tum papisticis ceremoniis. — — Optarim pro gentilibus et saepe stultis legibus Mosaicis recipi. Sumus enim oleae illi inserti. Et uerbum Dei decebat praeferre humanis constitutionibus. Nec hodie alias fere Romani illius iuris usus est, quam in litigando ut habeant unde se alant rabulae forenses. Cf. Strobel, Miscellaneen. 3. Samml. p. 10. Mutauit igitur sententiam de maxima re Melanthon. Sed laudandus est, quod in errore pertinaciter non stetit, immo eum deponens, quod decuit uirum liberalem, ingenue sese errasse professus est.*

breuiter, cur tantopere iuuet, a Romanis leges mutuari.  
 520 Vetus hic mos est, ab optime constitutis urbibus exempla  
 petere. Nihil puduit Atticos Aegyptias quasdam leges  
 usu capere, ut Herodotus<sup>29)</sup> testatur. Nemo Romanis  
 uitio uertit, quod cum cogeret publica necessitas leges  
 conscribere, in Graeciam<sup>h)</sup> legatos misere, qui inde  
 525 legum formulas adferrent et de Republica<sup>i)</sup> instituenda  
 summos in Graecia homines consulerent. Id cum et<sup>k)</sup>  
 maiores<sup>l)</sup> nostri fecerint, cum Romanae Reipublicae in-  
 stituta ad nos attulerint, quid quaeso peccarunt? Quae  
 tandem ars ex liberalioribus illis domi nobis nata est?  
 530 Literas<sup>m)</sup>, temporum discrimina, syderum ortus et occa-  
 sus, Architectonicam<sup>n)</sup>, Musicam exteri docuere, sine  
 quarum cognitione uita plane manca est, in quibus si  
 nihil offendit peregrinitas, quid uetat externis legibus  
 uti? Quis dubitat nostra cultiora esse, et literis, et le-  
 535 gibus Romanis adiectis, quam fuere prisco illo barbaro<sup>o)</sup>  
 seculo, cum nec ingenuis artibus animi nostrorum pri-  
 uatim fingerentur, nec publico iure, aut certa disciplina  
 mansuefierent. Adeone praesentium poenitet, ut mutare

h) Graetiam 1. i) Repub. *editt. omn. et sic infra.* k) et  
 cum 2. 3. 4. l) Maiores 1. m) est, literas 1. n) architectoni-  
 cam 2. 3. 4. o) Barbaro 1. et *similiter infra.*

29) *Histor. II. 177.*

cum ueterum barbarie libeat? Quae<sup>r</sup>) cuiusmodi fuerit,  
 uel ex eo potest aestimari, quod humanis hostijs apud <sup>540</sup>  
 nos<sup>q</sup>) litatum est. Eant quos tantopere uetustas de-  
 lectat et glandibus etiam uescantur. Iam cum Romani  
 literas nos artes aliasque<sup>r</sup>) docuerint, quid fuit cur non  
 illorum leges etiam imitaremur, cum nulla fuerit Respu-  
 blica, quae aut plura nobis, aut illustriora uirtutis <sup>545</sup>  
 humanitatisque exempla, aut humaniores leges proponere  
 potuerit?<sup>s</sup>) Fuit illud omnino unicum uirtutis atque  
 humanitatis in terris domicilium. Longum fuerit re-  
 censere qui ibi iuxta et in toga et foris, omnium belli  
 pacisque artium periti, clari fuere. Noti sunt Camilli, <sup>550</sup>  
 Curij, Fabricij, Fabij, Claudij, Scipiones, Crassi<sup>t</sup>), Iulij,  
 Cicerones, Sceuolae. Didicerant hi Respublicas regere  
 non in umbra et in ocio, ut Graeci<sup>u</sup>), sed in sole ac  
 puluere, usu<sup>v</sup>) magistro<sup>v</sup>), uim, inconstantiam, uariasque  
 uoluntates uulgi domi forisque toties experti, norant <sup>555</sup>

p) libeat, quae 1. libeat? quae 2. 3. 4. q) hos 2. 3. 4.

r) artes, aliaque 3. s) Crassij 3. t) graeci 3. u) usum *male* 4.

v) Magistro 1.

30) *Nec multo aliter nostrae aetatis IC*tii* de receptione, quam uocant, iuris Romani iudicant.* Cf. e. g. *Puchta, Pandekten §. 3. Gewohnheitsrecht I.* p. 198 sqq. *Dissentit cum eo C. A. Schmidt, Die Reception des römischen Rechts in Deutschland* (1868) pp. 293 sqq.

quibus artibus in officio retinenda tractandaque sit multitudo, norant quae pharmaca ciuitatum<sup>w)</sup> morbis conuenirent. Itaque Vergilius<sup>x)</sup> cum alias artes alijs gentibus<sup>y)</sup> concedat, Romanis scientiam gerendae Reipubli-  
560 cae tribuit<sup>z)</sup>:

*Tu regere imperio populos Romane memento  
Parcere subiectis et debellare superbos.*

Porro cum hi, qui Musicae operam daturi sunt, ad nobilissimos se Magistros conferant, cum pictores optima sibi exempla proponant, cur<sup>a)</sup> non et in gerenda Republica optime<sup>b)</sup> constitutae urbis tum exempla, tum leges usurparemus? Milesias credo aut Sibariticas leges isti, ut sunt impuri, nobis ferent, qui Romanas tantopere oderunt. M. Cicero, cum de optimo ciuitatis statu disputationat, non alias nisi Romanas leges fert easque naturae maxime omnium consentaneas esse censem; cui si quid credimus, a natura discedunt, qui a Romanis legibus dissident. Vernaculo quodam iure<sup>b)</sup> Saxones adhuc aliqui utuntur, in quo quam multa ex Romanis legibus emendata sunt? Quid fuit minus humanum, quam quod uetuere Saxones, ne nepotibus amisso patre auita here-

w) Ciuitatum 1. x) Virg. 1. y) Gentibus 1. z) proponant. Cur 1. a) optimae 3. b) iuri 2. 4.

31) *Vergil. Aen. VI. 851 sqq.*

ditas<sup>c)</sup> ueniret? <sup>32)</sup> Correcta lex est in comitijs populo-

c) haereditas 3.

32) *Errat Philippus, nam Iure Saxonum ius representationis in linea recta locum habebat (Spec. Saxon. I. 5 §. 1. Cf. Gerber, System des Deutschen Privatrechts §. 251 not. 3). Sed illo tempore deducta erat res in controuersiam. Scabini enim Magdeburgenses pronuntiabant contrarium. Cf. W(olfgang) L(oss) in Speculi Saxonici editione Dresd. a. CIOCLIIII. Fol. fol. XII. — Quam male Lutherus senserit de iure Saxonico intellegitur ex eiusd. Tischreden T. IIII. p. 526. Cf. Lutheri Colloquia ed. Bindseil T. I (1863) p. 286: „D. Martinus Lutherus dicebat de Scythica Barbarie Iuris Saxonici, propter rigidissimas leges, commune et Caesareum ius esse optimum, si per totum imperium seruaretur. Es ist aber zu tief eingerissen, ut mutatio non possit fieri sine magna confusione. Ius Saxonicum ualde iniquum est uxoribus. Si maritus reliquerit uxorem post mortem, quae multis annis cum eo fidelissime uixit, ea exire cogitur tanquam ancilla, quia lex dicit, quod relictæ uiduae sella et colus sunt danda. Sicut iurisperiti grammatici exponunt: einen stul vnnd rocken, so stünde ein from weib übler dan irgent eine magt. Ego colum et sellam allegorice intellego domum et uictum, sicut etiam illud allegorice accipiunt, quatuor pali, die vier pfle pro integra domo. Deinde dicebant Doctorem (Ludovicum) Fachsium (Lipsiensem) sudasse, ut ius Saxonicum in ordinem et methodum redigeret. Respondit Martinus Lutherus: Laterem lauabit, quasi ego uerbum sum uellem regulariter coniugare, sum, sus, sut.“ Similiter Colloq. T. II p. 355. Quibus non repugnat locus quem Stobbe, Geschichte der Rechtsquellen T. II p. 113 not. 9 ex Lutheri libello *An den christlichen Adel deutscher Nation* (Walch X p. 382) allegat. Vid etiam Lutheri interpret. psal. CI u. 5 (Walch V pp. 1255. 1256).*

rum Germaniae<sup>33)</sup> latumque, ut deinceps Romanum ius  
 ea parte Saxones sequerentur. Et<sup>d)</sup> municipalia passim  
 580 statuta, quoties aequitas poscit — sunt<sup>e)</sup> enim fere  
 barbara —, Romanis legibus emendantur. Adeoque  
 magno consensu ius Romanum tanquam oraculum na-  
 tiones omnes de aequitate consulunt sentiuntque leges  
 et placita omnia ad hanc regulam exigi debere et in  
 585 hoc extare uolunt, ut in dijudicandis pensitandisque  
 omnibus, quae in publicis consilijs decernuntur, gnomo-  
 nis uice sit. Tam sanctam plurimarum gentium con-  
 spirationem reprehendere, quid aliud est, nisi insanire?  
 Et meo iudicio sane quam multum interfuerit Reipubli-  
 590 cae ut maxime in foro apud nos non uersarentur Romanae  
 leges, in Bibliothecis eas adseruari, ut inde gerendae Rei-  
 publicae rationem, aequi et iniqui iustum discrimen pete-  
 rent, quicunque ad publica munera tractanda animum adie-  
 cerunt. Quid enim furiosius est, quam, quod fere euenit,  
 595 accedere ad Rempublicam nullis instructos literis, nulla  
 praeditos neque humanitatis, neque aequitatis scientia?

d) sequerentur et *dedi in priori editione, sed male.* e) poscit.  
 Sunt e. f. B., R. etc. 1. p., s. e. f. b., R. etc. 2. 3. 4.

33) *Loquitur Philippus de comitiis Vuormat. a. CIOIOXXI.*  
*Cf. Rec. Imp. eiusd. anni §. 18.*

In scenam nemo prodit, nisi histrionicam probe meditatus, nemo fidibus ludit, nisi Musicam teneat. Quanto magis oportet eos, qui Respublicas capessunt, qui consilium, qui openi innocentibus pollicentur, honestis artibus 600 dedolari antea et in schola bonarum rerum studio grauioribus negotijs<sup>f)</sup> praeludere? Sunt enim hebetiores fere in<sup>g)</sup> discernendis rebus communibus quorum iudicium nullae literae acuerunt aut confirmarunt et feri magis impotentioresque, quorum pectora mansuetior disci- 605 plina non mollijt. Belluam aliquam immani saeuitia ex cauea in medium multitudinem iures emissam esse, non imperare hominem, sicubi in inculti imperitique Magistratus potestate Rempublicam esse uideris. Quare a doctissimis hominibus de regendis ciuitatibus, de iure, 610 aequo ac bono multa conscripta sunt, ut uim uirtutis et iustitiae Principum oculis subijcerent. Extant Platonis politici libri non pauci, extant eodem argumento et Aristotelici, depinxit graphice Principem Xenophon, quem Scipio sic amasse fertur, ut nunquam de manu poneret<sup>34).</sup> 615 Fateor de rebus humanis istos benemeritos<sup>h)</sup> esse et multa utiliter monuisse dignosque duco esse, qui in manibus, in sinu gestentur ab omnibus, apud quos in

f) negocijs 2. 3. negociis 4. g) *deest* 3. h) bene meritos 1.2.

34) Cf. Cicer. *ad Quint. Fratr. I. 1. 8.*

pretio uirtus est; uerum nescio quo modo mihi adum-  
 620 brasse magis, quam uiuis coloribus expressisse Respu-  
 blicas<sup>i)</sup> uidentur, dum a communi consuetudine et  
 ciuilibus moribus longius recedunt et pro suo quisque  
 stomacho Ciuitatem sibi somniant. Plato<sup>35)</sup>, ut caetera  
 omittam, mulieres etiam militare iubet, Aristoteles<sup>36)</sup>  
 625 dubitat an oppida moenibus<sup>k)</sup> cingenda sint. Ad haec  
 frigidis argutijs fere immodice delectantur. Socrates  
 apud Platonem<sup>37)</sup> ex iustitia<sup>l)</sup> ~~κλεπτικήν~~ facit. Aristo-  
 teles<sup>38)</sup> partim in<sup>m)</sup> Geometricis proportionibus, partim  
 in Arithmeticis consistere iustitiam scribit. Laus ingenij  
 630 petitur his parergis, ad rem non ita multum faciunt.  
 Absolutum<sup>n)</sup> uero ciuitatis effigiem est cernere in his  
 legibus, quae non in scholis natae sunt, sed in curia, in  
 foro, ut bonis profugium et portus et aduersum impro-  
 bos teli uice essent. Vt offendunt Mimi nisi proxime  
 635 repreasentent quos imitari instituere, ita et leges parum  
 probamus a communi captu remotiores. Quare hoc mihi  
 plane persuasi, utiliorem esse Romanarum legum cogni-

i) *Respub. editt. omn.* k) manibus 1. l) iusticia 2. 4. et sic  
infra. m) deest 3. n) absolutam *editt. omn.*

35) *De republ. 452 a* (Ed. opp. *Platon. C. E. Ch. Schneideri. T. I. p. 84.*) 36) *Politicor. VII. 11.* 37) *De republ. I. 334. b.* (Ed. *laudat. I. p. 6.*) 38) *Ethicor. Nicomach. V. 6 sqq.*

tionem ijs qui Respublicas gerunt, quam philosophicarum in hoc genere disputationum<sup>o</sup>). Grauiter, ciuiliter et humanitus omnia constituta sunt a legum auctoribus <sup>640</sup> idque res cogebat. Erant enim ad ciuilem hominum consuetudinem leges accommodandae, non aliter atque pharmacum attemperari oportet aegri corporis naturae ac uiribus. Philosophi<sup>p</sup>) sibi in scholis quaedam libere permisere, quae in gerendis Rebuspublicis non fuerit <sup>645</sup> consultum sequi. Sunt quaedam in Europa gentes, quae non iudicant res ex Romanis legibus, sed uernaculis. Et tamen qui ibi Respublicas gesturi sunt fere Romanas leges apud exterios discunt, qui, ut accipio, interrogati, quid, cum nostrarum legum non sit apud eos usus, in <sup>650</sup> eis cognoscendis tantum operaे ponant, respondere<sup>q</sup>) solent: Animam<sup>r</sup>) se spiritumque legum, sic enim loquuntur, excipere, hoc<sup>s</sup>) est, aequitatis uim ac naturam hinc decerpere, ut de patrijs egibus rectius iudicent. Laudo prudentissimam<sup>t</sup>) uocem, qua significant omnia rectius <sup>655</sup> perspexisse summos illos uiros nostri iuris auctores et neminem satis instructum esse ad ciuitatem regendam, qui non in his cognoscendis tyrocinium fecerit. Quid

---

<sup>o</sup>) disputationem 3. <sup>p</sup>) uiribus, Philosophi 1. *a linea post uiribus reredit* 3. <sup>q</sup>) Respondere 1. <sup>r</sup>) solent, animam 1. solent, Animam 2. <sup>s</sup>) excipere. hoc 2. <sup>t</sup>) prudentiss. 1.

quod in his Iureconsultorum<sup>u)</sup> literis bona pars antiquitatis reliqua est? Veteres mores, sermonis Romani pleiaeque figurae, quas nisi hi explicarent, in alijs scriptoribus nonnunquam non aliter atque in luto haereremus nec intelligi optimorum auctorum plerique insignes loci possent. Quodsi<sup>v)</sup> historia, si aliae ueterum literae no-  
bis, ut debent, curae sunt, cum his passim lucem ad-  
ferant Iureconsulti, uel a Grammaticis et Rhetoribus  
eorum commentarios adseruari oporteret. Itaque nisi  
simul omnibus literis bellum indicemus et plane in bel-  
luas<sup>w)</sup> degenerare iuuabit, non permittendum est, ut  
situ ac senio Romanae leges emoriantur. Quosdam no-  
bilium urbium picturae, quosdam marmora, quosdam  
statuae delectant eaque summa cura conseruant: quae,  
malum, barbaries est, leges plusquam<sup>x)</sup> aureum pulcher-  
rimae urbis monumentum et germanam *εἰκόνα* oblite-  
rare? Quidam clarorum hominum sententijs unice ca-  
piuntur, parietibus inscribunt, annulis insculpunt, illinunt  
omnibus chartis, siqua<sup>y)</sup> insigniter placuit: in his uolu-  
minibus tot extant gnomae, quot leges, erutae ex doctis-  
simorum Poëtarum, Oratorum et Philosophorum mo-

u) iureconsultorum 1. 2. 4. v) Quod si *omn. editt.* w) bel-  
luas 2. 4. x) plusq. 1. plusqz 2. y) si qua 3.

numentis et recitant doctissimi<sup>a)</sup>) rerum humanarum om- 680  
nium Imperatores<sup>a)</sup> et Iureconsulti<sup>b)</sup> nostrorum rabula-  
rum dissimiliores, quam sunt Chiorum in talis Coi, sed  
instructi literis, usu Reipublicae domi forisque gerendae  
exercitati. Vel tantorum uirorum memoriae hic honos  
debetur, ut tanquam exuuias eorum scripta conseruemus. 685  
Quod cum summa cura maiores<sup>c)</sup> nostri praestiterint,  
aequius est illorum nos exemplum imitari, quam iis ob-  
sequi, qui non modo legibus male propitijs sunt, sed  
prorsus neque ius neque bonum atque aequum sciunt; me-  
lius<sup>d)</sup> peius, proposit, obsit, nihil uident, nisi quod libet. 690

Poscit hic locus, posteaquam sententiam de legibus  
nostram exposuimus, aduersariorum columnias refutare,  
quae quia leuiuscule et pene ridiculae sunt, paucis a  
me perstringentur. Mutilae, inquiunt, legum Rhapsodiae  
sunt. Publica ea calamitas est, quam insectari minime 695  
conuenit, miserescere erat humanius. Optarent autem  
boni omnes, si quid<sup>e)</sup> uotis proficitur, integra ueterum  
Iureconsultorum uolumnia extare. Verum cum haec  
tantum fragmenta fortuna nobis reliqua fecerit, impium  
fuerit, uelut ex naufragio receptis hospitibus, uitam in- 700

---

z) doctiss. 1. doctissimos 2. 3. 4. a) impe atores 2. impera-  
tores 1. 3. 4. b) Iurisconsul. 1. Iurisconsultos 2. 3. 4. c) Maio-  
res 1. 2. 4. d) Melius 1. e) siquid 2.

uidere, praesertim non malis. Nam qui haec consarcinarunt integras tamen sententias nobis et legum capita, quantum satis erat, tradiderunt. De singulis casibus anxie superstitioseque constituere nihil refert, satis est 705 genera rerum et communes quasdam formulas, quemadmodum in alijs fit artibus, concipere, quibus similia inter se facta metiamur, ne, si res in immensum crescat, nemo consequi possit. Deinde in legibus omnibus res cogit breuitatem adfectare, ut animis facilius infigi possint 710 sint tanquam breuia *ἀποφθέγματα*.

Sed ogganiunt aduersarij, obruta esse omnia et conspurcata sordidis interpretum commentarijs. Ego uero Romanis legibus patrocinor, non neotericis interpretibus, quorum, si prodesse uoluere, laudandus est 715 conatus. Et tamen quicquid istic uitij est, id uniuersum simul<sup>f)</sup> imputo inscitiae humanitatis et elegantium literarum, quibus qui non sunt perpoliti, hi nihilo ad tractandas grauiores disciplinas magis adpositi sunt, quam ad lyram asinus<sup>g)</sup>). Primum enim cum Romano<sup>h)</sup> sermone conscriptae sint leges, quomodo in eis uersabitur, qui linguae figuras<sup>i)</sup> ac uim non tenet? Iam, etiamsi Scythicus legum sermo esset, tamen pinguius iudicant,

---

f) semel *editt. omnes*. g) Asinus 1. h) Ro. 1. i) figuris 1. *Sed figuras habet marginalis sequentem paginam indicans uersiculus.*

docent obscurius et imprudentius quacunque de re<sup>k)</sup> dicere instituunt, dant sine mente sonum, quotquot dicendi artes non attigere. Magna uis est in humaniorum <sup>725</sup> literarum studio, quam animo rectius cernere, quam oratione depingere possumus. Et exempla superioris aetatis commonent, quid sapient, quotam mentis unciam reliquam habeant ij, qui ab istis artibus alieni sunt. Vides, quam inepte tradiderint suas artes Philosophi, <sup>730</sup> quanto conatu, quantas nugas docuerint. Nihilo saniiores Iureconsulti fuere, qui disputatione de Lazaro, ualueritne<sup>l)</sup> testamentum posteaquam is reuixit et hoc genus innumera. Solebat apud nos <sup>39)</sup> doctus quispiam homo istorum ineptias festiuo commento ridere. Non procul <sup>735</sup> oppido quodam, aiebat, ad flumen pistrinum, ex quo

k) deest 2. l) ualuerit ne editt. omn.

39) *Apud Tubingenses, non apud Vitebergenses, quod olim incaute affirmaui. In uniuersitate Tubingensi enim Philippus „non theologos tantum sed et iurisconsultos etiam et medicos audiuit . . . Praeter Georg. Simlerum, iura nunc profitentem, quo antea magistro in ludo Pforzheimensi usus fuerat, praeципue solebat laudare Georg. Lampatrum et Ebingerum aliquem, de quo referebat alios DD. dixisse: Non possumus omnes doctrina aequare Ebingerom.“ Cf. C. F. Schnurreri *Orationum academicarum delectus posthumus*. Ed. H. E. G. Paulus (1828) p. 50. An uero illuserit quis illo commento Ioannem Verghenans (*Nauclerum*), *Iur. pontificii Drem et cancellarium Tubingensem*, nescio.*

cum non ita multo ante aquatum asinus descendisset,  
 cum in extrema ripa seu lutulenta seu tenuior aqua  
 fueret, quam ut os imbuere posset, in proximam cym-  
<sup>740</sup> bam<sup>m</sup>) forte pergit, unde uberiorem iusti amnis aquam  
 hauriret. Porro cum inscendisset nauiculam, impetu de-  
 torquet a ripa in medium flumen, quo cum esset ex-  
 cepta, secundis uentis<sup>n</sup>) in scopulum defertur. Hic  
 postquam impegit, fracta est, et imperitus ille Naucle-  
<sup>745</sup> rus in undis perijt. Doluit molitori ubi rem rescivit  
 iactura et piscatorem in ius uocat, damnum dedisse ac-  
 cusat, quod ejus nauigio iumentum aeuctum sit. Con-  
 tra ille factam ab asino pauperiem seque damnum ac-  
 cepisse exclamat, quod nauigium amiserit, in flumen ab  
<sup>750</sup> asino impulsu. Vtrinque acerrime a conductitijs ra-  
 bulis certatum est. Iudici caussa uisa est intricatio,  
 quam ut liceret non consultis iuris professoribus pro-  
 nunciare. Deferunt ad leguleios<sup>o</sup>). His uero negotium  
 mirum factum est, dum pro se quisque vindicare asi-  
<sup>755</sup> num contendit, disputationes uarias instruunt, rixantur  
 de asino in scholis et conciliabulis pertinacius, opinor,  
 quam Graecus ille de asini umbra et haud scio, an non-  
 dum etiam de summa rei decreuerint. Obsecro non in-

---

<sup>m</sup>) Cymbam 3. <sup>n</sup>) Ventis 3. <sup>o</sup>) Leguleios 3.

sanire tibi uideantur, si qui se in tam ridicula caussa  
diu torqueant? Verum, mihi crede, istorum disputa- 760  
tiones futiliores sunt hac molitoris contentione. Quotus  
enim quisque de communibus rebus ciuiliter et ex com-  
muni sensu iudicat? Ingenia in stultis formulariorum  
literis obbrutuerunt hasque in scholis et foro non aliter  
atque suas epodas Magi non intellectas recensem⁹). 765  
Nihil hic de grammaticis<sup>p)</sup> et puerilibus erratis, de  
barbarie sermonis queror, quam praescriptione tuentur,  
iudicij inopiam accuso, qua fit, ut nec ius nec fas in  
plerisque caassis cernant. Aduersus eam pestem di-  
cendi artium studio mens praemunienda est, perinde 770  
atque aduersus Circes uenena Vlyssem moly herba<sup>q)</sup>  
Mercurius praemunijt<sup>41)</sup>. Si quid iuris interpretes insci-  
tia literarum peccarunt, uestrum est, uestrum, inquam,  
honestissimam prouinciam repurgare et explosis indoctis  
commentarijs a situ et squalore leges adserere et ger- 775  
mano nitori restituere. Id humanius est, quam leges  
ipsas, neutiquam male meritas de nobis, obliterate<sup>42)</sup>.

Sed audio etiam de professorum moribus nonnullos

p) Grammaticis *editt. omn.* q) molyherba 3.

40) *Ad hunc locum cf. Stobbe, Geschichte der deutschen Rechtsquellen T. II. pp. 25. 26. 158.* 41) *Hom. Odyss. X. 302 sqq.* 42) *Cf. Stobbe l. l. pp. 33 sqq.*

queri. Primo optarim hos censores in suis uitijs emen-  
 780 dandis, nolo enim nunc quidquam acerbius dicere, tam  
 esse acres, quam sunt in reprehendendis alienis oculati.  
 Deinde cum sint in hoc ordine plerique boni uiri, ini-  
 quum est legibus imputare, si quid adferunt uitij pro-  
 fessores. Iam ego ob hanc caussam doctissimos et opti-  
 785 mos quosque cupio legibus discendis operam dare, ut,  
 extrusis ueteratoribus et sycophantis illis, iudicia forum-  
 que redeant aliquando in bonorum ac doctorum uirorum  
 potestatem. Modo res iudicant indocti fere, qui, ne nihil  
 sapiant, unum<sup>r</sup>) aliquem ex uulgaribus pragmaticis in  
 790 consilium adhibent, in quibus ut quisque est indoctissimus,  
 ita est audacissimus et nequissimus. Huius uident oculis,  
 huius audiunt auribus reliqui omnes, quod hic somniarit,  
 reliqui decernunt: ait, aiunt; negat<sup>s</sup>), negant. Capita  
 sunt sine linguis, ius ipsi et uim aequitatis ignorant.  
 795 Leguleius ille<sup>t</sup>) naribus omnes tanquam bubulos trahit.  
 In tanto iudicum ueterno irrepunt in forum et uanissimi<sup>u</sup>)  
 rabulae caussas acturi, qui, quando is quaestus est uber-  
 rimus, ex litibus lites serunt, clientes deglubunt, Respu-  
 blicas<sup>v</sup>) depeculantur, indoctum iudicem nouis subinde

---

r) Vnum 1. s) Negant *omn. editt.* t) illa 4. u) uaniss. 1.  
 uanissimae 2. quem *editoris lapsus incaute repet.* 4. v) Respubl. 1.  
 2. 3. 4.

technis ludificantur<sup>43)</sup>). Non possum adduci, ut credam, 800 Athenis unquam sycophantas, qui sic dicebantur, ullos nostris impudentiores nequioresue<sup>w)</sup>) fuisse. Ausim et haec uitia inscitiae elegantium literarum imputare, quarum qui sunt imperiti, nescio quibus artibus ad honestatem flecti possint, quando uim uirtutis nullae aliae 805 literae perinde oculis nostris subiecere, atque hae, quae humaniores rectissime uocantur<sup>x)</sup>). Et cum ne leges quidem ipsas attingant isti, tantum ex uersutorum quorundam formulis sapient, ne possunt quidem contagione pestilentissimarum literarum non infici.

810

Proinde cum nulla meliore disciplina animi ad uirtutem adsuefacti<sup>y)</sup> sint, nihil pudet in quaestu ius habere, uitiare leges, detorquere<sup>z)</sup> malitiosis interpretationibus, in quam uolunt partem. Solonem refert Demosthenes<sup>44)</sup>, cum reum ageret quandam perniciose legis auctorem, 815 dixisse, cum<sup>a)</sup> capitale sit nomisma<sup>b)</sup> adulterare, morte mulctandos esse etiam eos, qui leges uitiant,

w) nequioresue 2. nequioresue 3. x) a linea recedit 3.  
y) assuefacti 2. 3. 4. z) detorqueri 1. a) dixisse, Cum 2. dixisse:  
Cum 3. 4. b) numisma 3. et sic infra.

43) Vid. Stintzing, *Geschichte der populären Literatur des römisch-kanonischen Rechts in Deutschland* (1867) p. XXX. XXXII. 44) Locos uide apud Hermann. Schelling, *De Solonis legibus apud oratores Atticos diss.* pp. 43 sqq.

propterea<sup>c)</sup> quod ut in priuatis commercijs<sup>d)</sup> ac contractibus nomismate utimur, ita publicis commercijs et  
 820 negotijs<sup>e)</sup> leges esse nomismatis uice. Recte Solon. Atque utinam eo redeat res, ut et in nostris iudicijs petulantia impudentiaque rabularum coherceatur, mulctetur dolus! Id adeo fiet, ubi ad Rempublicam boni uiri adcedent<sup>f)</sup>, literis et cognitione iuris instructi, quibus isti  
 825 imponere nec ausint nec possint! Itaque Reipublicae interest, ut optimi quique et uirtutis amantissimi ius perdiscant, ut, si quando<sup>g)</sup> publicum munus tractandum est, recte gerendae prouinciae artes teneant. Videmus enim quos ludos Rebuspublicis ubique Magistratus im-  
 830 periti et indocti reddant, quos, ut boni sint, necesse est multa incautos peccare et tamen fere ita fit, ut deteriores sint, quo sunt indoctiores.

Dixi de legibus longius fortasse, quam ferebat tempus, sed omnino parcus, quam et res poscit et ego uolebam. Reliquum est, ut eos, qui in legibus uersantur, adhorter, ut strenue pergent nec e medio cursu reuocari se indoctorum uocibus patientur. Nam cum iudicia adprobet religio, non modo non impium, sed sanctum etiam

c) uitiant. Propterea 1. uitiant: Propterea 2. 3. 4. d) comertijs 1. et sic infra. e) negocijs 2. 3. 4. f) accedent 3. g) si quando 2. 3. 4.

officium faciunt, qui rite de iure respondent, aut res iudicant. Plerique posteaquam hanc induere persuasionem, <sup>840</sup> uersari se in re prophana et quam Deus nihil moretur, minore fide curaque munus suum obeunt. Hos meminisse uolo, Deum et iuris auctorem<sup>h)</sup> esse et uindictam futurum. Libra et pondus, inquit Solomon<sup>i)</sup>, iudicia Dei sunt<sup>k)</sup>. Quare si quid iniquum statueris, non ho- <sup>845</sup> minum tantum mores uiolari credas, sed Deum, a quo iudicia constituta sunt, offendit sentias. Non hominis, ait optimus Princeps Iosaphat<sup>l)</sup>, exercetis iudicium, sed Dei, adest spectator et arbiter consiliorum uestrorum Deus: sit<sup>k)</sup> timor Domini uobiscum, accurate rem gerite. <sup>850</sup> Hoc uero diuinus spiritus oraculum non illi tantum seculo, sed omnibus, qui ubique ius dicunt, prodidit. Nulla sanctior in terris functio est, quam *οἰκονομία ecclesiastica*<sup>l)</sup>. Huic proxima est, ius dicere, quam si recte gesseris, nemo Monachus, nemo Heremita superiore est <sup>855</sup> apud Deum loco. Prophanum munus est, sed quod non minus religiose tractari oportet, quam ad aram accedendum est sacrum facturis; imo<sup>m)</sup> hic uere sacrum facis,

h) autorem 2. 3. 4. i) Salomon 2. 3. 4. k) Deus, Sit 1.

l) Ecclesiastica 2. 3. 4. m) facturis. Imo. 1. facturis: imo 2. 4. facturis, imo 3.

45) *Proverb. Salomon. c. 16 u. 11.* 46) *Paralipom. l. II. c. 19 u. 16.*

cum publicae tranquillitati ac paci operam nauas. Quo  
 860 pluris autem hoc officij Deus facit, eo sunt execrabiliores,  
 qui publicam in foro sycophanticam<sup>n)</sup> exercent, bonorum  
 extortores, legum contortores, qui uel ob hanc caussam  
 ferendi non erant, quod a ciuitatibus horum flagitia  
 Deum non raro abalienent, grauiter succensentem con-  
 865 stupratis iudicijs. Porro cum non dissideant cum pietate  
 leges et usu receptae sint, nihil moremur eos, qui se  
 insectandis<sup>o)</sup> ciuilibus moribus ad uulgas uendidant. Nam  
 sine publica calamitate receptas leges mutari non posse,  
 et res docet, et sapientissimi quique monuerunt. Extabat  
 870 apud Locros in bene constituta ciuitate ea de re lex, ut  
 quisquis aduersus receptas leges rogationem ferret, is  
 eam inserto in laqueum collo suaderet. Quae<sup>p)</sup> si uide-  
 batur e Republica esse, saluus euadebat auctor<sup>q)</sup>, stran-  
 gulabatur autem constricto laqueo, ubi oratio displicuisse.  
 875 Neque dubium est, quin id ita constitutum sit, ne temere  
 inducerentur usu confirmatae probataeque maiorum iudicio  
 leges. Et Athenis *νομοφύλακες* erant, qui apud praefectos in omnibus publicis concilijs candidis fascijs coro-  
 nati adsidebant, ut prohiberent, ne quid contra receptas

n) Sycophanticam 1. o) in sectandis 3. p) suaderet, quae 1.  
 suaderet: quae 2. 3. 4. q) auctor 2. 3. 4.

leges decerneretur. Denique ut quaeque ciuitas optime 880  
constituta fuit, ita minime passa est leges antiquari.  
Proinde nos quoque publicum ius diligenter tueamur,  
praesertim cum Romae natum sit, in principe<sup>r</sup>) orbis  
terrarum Republica, in prudentissimorum et doctissi-  
morum hominum concilijs, quorum non modo literae nos 885  
aequi et iniqui discrimen docent, sed exempla etiam et  
res praecclare gestae ad uirtutis studium adhortantur.

Dixi.

---

r) Principe 1.

*Weimar. — Hof-Buchdruckerei.*